Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Communionis Ieiunium, Tenpus & locus

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

lex, quæ præcipit aliquem actum, præcipit ſubſtantiam actus, non modum, niſi modus ſit de ſubſtantia illius. At Eccleſia præcipit Communionem, non autem rectam diſpoſitionem, neque hæc eſt de ſubſtantia illius; quia ſtat vera communio cum ſacrilegio in ipſa commiſſo. Ego *part. 2. tr. 4. reſol. 43.* & Addit. ſecund. *reſ. 14.*

COMMVNIONIS
tempus & Locus.

Cõmunio ſemper eſt licita. Etiam in die Veneris ſancti.

69 TEmpus, quo quis tenetur communicare, dictum eſt ſupra V. *Communionis neceſſitas.* Præter illud poteſt quis communicare quocumque die, etiam in die Veneris Sancti, quia in hoc Eccleſia nullam limitationem appoſuit. Innocentius enim I. *Epiſt. 2. ad Decentium cap. 4.* ſolum habet, ea die ex traditione Eccleſiæ non celebrari. Et Miſſale Romanum ordinans feria V. reſervandas eſſe aliquot Particulas conſecratas pro infirmis, non prohibet miniſtrari ſanis: unde videtur illis concedere. Quod autem expreſſe non concedat, id eſt, quia ſani eo die in ſignum mœroris à ſacra refectione abſtinere ſolent: quæ tamen conſuetudo non inducit neceſſitatem, ſed congruitatem. Ita Hurtado *de ſacrif. diſput. 4. diff. 3.* & apud illum Vaſquez, & Suarez, & alii contra Francolinum *de Horis Canon. c. 30. n. 12. p. 4. tr. 4. reſol. 237.*

Cauſam infirmitatis poteſt communicare in die Veneris Sancti, & Sabbati Sancti.

Sac. Congregat. ſub Vrbano VIII. decrevit tantum cauſa infirmitatis licere in die Veneris Sancti communicare. *part. 9. tract. 7. reſol. 24.* & Sabbatho Sancto celebrare poſt inceptam Miſſam majorem (ſecluſo ſcandalo,) ſed ſi in illo die incidit feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ, poteſt Epiſcopus diſpenſare ad celebrandum in aliis Eccleſiis. *§. Notandum,* & in Miſſa mediæ noctis Natalis Domini poteſt communicari. *p. 9. tr. 4. reſ. 43.*

Et quacũque hora diei poſt meridium.

70 Poteſt etiam quis quacumque diei hora communicare, dummodo ſit jejunus, & abſit ſcandalum. Nam, licet prohibitum ſit poſt meridiem celebrare, non eſt tamen prohibitum poſt meridiem communicare. Ita Azorius *part. 2. lib. 10. cap. 25. quæſt. 7.* & alii. Quamvis Coninch *de Sacram. quæſt. 8. artic. 10. n. 85.* ex reverentia tanto debita Sacramento; non eſſe permittendum dicat, ut aliquis ſine neceſſitate ſub veſperam, & qualibet hora diei communicet *part. 2. tractat. 14. reſolut. 54.* Sæpius uno die communicare non eſt prohitum jure divino, etiam extra feſtum Nativitatis Domini, quia Leo III. aliquando celebravit eodem die ſepties vel octies, ut teſtatur Baron. *tom. 9. ad ann. 816. part. 11. tractat. 7. reſol. 15.* cavenda tamen eſt frequentia quæ Sacramenti contemptum parere poſſet. Idcirco Eccleſia prohibet communionem iterari eodem die. c. conſuluiſti, de celebratione miſſar. c. ſufficit. de conſecr. diſt. 1.

Locus cõmunionis pro ſanis.

71 † Quoad locum poteſt quis communicare in omni Eccleſia ſæculari, aut regulari: & ſi habet Bullam, communicare poteſt in Oratorio propriæ domus. † Excipe tamen diem Paſchatis in quo quilibet communicare tenetur in ſua Parochia. Sed de hoc quoad privilegia Regularium, vide v. *Regularium, ànum. 4.*

Et infirmis.

72. Infirmi communicare poſſunt in propriis domibus. Imò etiam in navibus. Vide infrà V. *Euchariſtiæ cuſtodia.*

COMMVNIONIS
Miniſter.

Communionis miniſter debet eſſe Sacerdos Curatus.

73 † MIniſter Communionis ex can. *pervenit, de conſecrat. ad 1.* debet eſſe Sacerdos, quamvis ex neceſſitate poſſit miniſtrare Diaconus cum licentia Parochi, ſi adſit, & ſi non adſit, ſine illa, ex can. *diaconus diſt. 93.* Non ſolum autem Sacerdos, ſed etiam Curatus eſſe debet, niſi habeat

Sed ex neceſſitate